




Göttingen. Diss. jur. 1800 - 1803.

1800. Breuls, de contractu commissionis ad merces commendas datae
(vom Commissions-Einkaufs-Contracte).
Dieterichs, Thesleota de fructibus ultimi anni, et utrum veteri
utrum novo calendario sint adiudicandi.
Hoch, De differentia inter cambi cessionem et indossationem.
v. Post, De testamentifictione coniugum secundum statuta Bremensia.
Rose, De genuina unionis probum inde et de iuribus atque ob-
ligationibus, quae per eam ... stabiliri ... dicuntur.
1801. Eichhorn, De differentia inter austraeas et arbitros compromissarios.
Hoffmann, De indossatione cambi a iudeo in christianum facta.
Kellinghusen, De crimine homicidi eiusque speciebus habita
relatione inter C. C. C. et statuta Hamburgensia.
Lehmann, De valore principii usitati insinrandum esse
servandum quod non vergit in dispendium salutes vel
in alterius detrimentum.
Sengebusch, De indole iuramenti diffensionis secundum ius Ger-
manicum commune.
1802. Bormester, De monopolio.
Hartmann, De capacitate feudorum.
Heise, De successoribus necessariis.
Heise, f. h., De natura atque indole contractus cambialis.
Martin, De indole contumaciae in causis civilibus contentiosis.
Meyersien, De protestu maritimo. Von der Verklärung.
Rodbertus, De inofficiisi testamenti querela.

- 1803.
- Groscurd, De iure emphytentico.
- Kahle, De remediiis iuris haeredi ad consequendam quartam Falordiam competentibus.
- Müller, De usurario pravitate eiusque puniensi.
- Schrader, De iudicio contra sententias et de re indicata in causis criminalibus I 1: De appellationibus causis criminalibus ex iure Romano instituendis.
- Schwepppe, De querela in officiisi testamenti successori necessario in genere tali, in singulo quovis causa concedenda, nec ne.
- Luse, De iure singulari feminae intercedentis Romane et Hamburgensis I.



Breuls - Commissions - Einkauf - Contract

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

CONTRACTV COMMISSIONIS

AD MERCES COEMENDAS DATAE

(Vom Commissions - Einkauf - Contracte)

QVAM

ADVENTE ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE

PRO OBTINENDIS

S V M M I S I N I V R E H O N O R I B V S

I N

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

DIE XXIX. AVGVSTI MDCCC.

PVBLINE DEFENDET

H E R M A N N V S B R E U L S

BREMANVS.

G O T T I N G A E

T Y P I S H E N R I C I D I E T E R I C H .



S. R. I.

REIPUBLICAE BREMENSIS

SENATVI SPLENDITISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS

DOMINIS

CONSULIBVS

ET INTER HOS PATRI DILECTISSIMO

DOMINIS

SYNDICIS

DOMINIS

SENATORIBVS

PATRIAEE PATRIBVS

FAVTORIBVS SVIS INDVLGENTISSIMIS

H A S

S T U D I O R V M P R I M I T I A S

PIA MENT E

SACRAS ESSE VOLVIT

A V C T O R.

C O N S P E C T U S.

C A P V T P R I M U M.

Notiones generales, fontes, notitia literaria.

I. De commissione in sensu latissimo.

A. Notio. §. 1.

B. Variae species. §. 2.

II. De ea commissionis specie, quae circa merces coemendas data est (*Vom Commissions-Einkaufs*).

A. Natura et indeoles; vbi in primis disquiritur, virum in contractum iuris Romani incidat, an proprio negotio, moribus Germanicis introducto, consistat. §. 3.

B. Fontes, tam communes quam particulares. §. 4.

C. Notitia literaria. §. 5.

C A P V T S E C V N D U M.

De ineunda, adimplenda, finienda commissione, ad merces coemendas data.

I. De ineunda commissione, ad merces coemendas data.

A. Ratione subiecti. §. 6.

B. Ratione obiecti. §. 7.

C. Ratione modi contrahendi. §. 8.

II. De adimplenda commissione.

A. Dispositio de translatione dominii mercium inter mercatores in genere praemittitur. §. 9.

B. Enumerantur in specie

1) Praestationes commissarii:

a) Merces conuento tempore, in determinata specie et pro praescripto pretio committenti transmittat. §. 10.

b) Si nouus rerum mercatoriarum status superuenit, illico committenti eum denunciet. §. 11.

c) Committentis cambia, solutionis causa scripta, non negligat. §. 12.

d) Ad merces transportandas adhibeat nautas vel autigas bonos peritosque. §. 13.

A

e) Mer-

- e) Mercibus, ad committentem missis, adiungat literas recognitionis
(*Connoscentiae*). §. 14.
- f) Curet, vt rationes ad committentem tempestive perueniant. §. 15.
- g) Libri mercatorii ei ad manus sint, quibus ea, quae ad commissione pertinent, demandet. §. 16.
- h) De securitate vulgari itineris praestanda sollicitus sit. §. 17.
- i) Ratione dominii, in mercibus adquirendi, committenti nil de-
trahat vel interuertat.
- a) Principia ponuntur, quibus res regitur. §. 18.
- b) Observations ad rem melius definiendam atque illustrandam
adiciuntur. §. 19.
- k) Alienationes et oppignorationes mercium coëmtarum interdictas
sibi habeat. §. 20.
- l) Damna, dolo vel culpa data, resarciat. §. 21.
- 2) Praestations committentis:
- a) Pretium pro mercibus coëmtis soluat. §. 22.
 - b) Pronusionem commissario praestet. §. 23.
 - c) Impensis refundat, praestetque commissarium indemnum. §. 24.
 - d) Usuras in primis, quae ex mora ipsius debentur, soluat. §. 25.
 - e) Periculum mercium ferat, ex quo emto vendito perfecta
fuit. §. 26.
- C. De tribus modis, quibus commissarius ratione implementi contractus
facilime sibi prospicere potest erga committentem.
- 1) De iure retentionis. §. 27.
 - 2) De iure sequelae mercatoriae (*droit de suite*). §. 28.
 - 3) De arresto mercibus, quae nou amplius in commissarii potestate
sunt, imponendo. §. 29.
- III. De modis, quibus obligatio inter committentem et commissarium sol-
vitur. §. 30.

C A P V T T E R T I V M .

De nexu commissionis cum extraneis, quibuscum commissarius
in rem committentis contraxit.

- I. De nexu commissionis cum venditore, a quo commissarius merces coëmit.
§. 31.
- II. De nexu cum nauta vel auriga, ad merces transnehendas conducto. §. 32.
- III. De nexu cum assecutoribus, qui periculum mercium coëmtarum in
itinere repererant. §. 33.

C A P V T

C A P V T P R I M V M.

N O T I O N E S G E N E R A L E S , F O N T E S , N O T I T I A
L I T E R A R I A .

§. I.

Mercatores quae in negotiatione exercenda agunt, vel quis adscribunt rationibus, vel alienis. Si illud, mercatum *propriam* (*Proper-Handel*), si hoc, *procuratoriam*, seu vi *commissionis* suscepitam (*Commissions-Handel*) habemus. Inde *Conimissio* (*Commission*) vocatur, quodvis negotium mercatorum, quod pro mercatore absente ea lege curatur, ut expensarum eo nomine factarum resarcitio, tum etiam vt studii et laboris fiat aliqua compensatio¹⁾. Requiritur ergo: 1. vt negotium ad mercaturam pertineat; 2. vt pro absente geratur, et quidem 3. non spontaneo motu, sed vi mandati; tum etiam 4. non gratis, sed titulo oneroso, scilicet erga commoda, lege vel pacto statuta, quae vulgo *prouisio* (*Provision*) vocantur, tam a mercede, quam ab honorario probe distinguenda. Illa enim cum operis crescit et decrescit; hoc pro iis operis praestatur, quae ex natura contractus gratis praestandae sunt, quod ergo à contractu abesse potest. Vtrumque secus se habet in prouisione. Cacterum quae de ipsis ratione habet Büschius²⁾, proli dolor nuper defunctus, non tanti mihi videntur.

1) Musaeus in den Grundsätzen des Handlungsrechte §. 58. commissionem vocat, vbi quis in loco domicilli negotia alterius, alio loco degentis, curat, ita tamen, vt ille ipse mercaturam non exerceat, tum etiam vt

vtilitatem exinde sibi percipiat. — Num ita recte? dubito. Nam ad alias personas praeter mercatores res extendi nequit; praeterea non video, cur is, qui mercaturaे propriae operam dat, commissarius esse prohibetur.

- 2) Darstellung der Handlung lib. 5. cap. 2. §. 4. "Es konnte der Kaufmann, der den Auftrag ertheilte, den Lohn desselben nicht wie den eines Bedienten behandeln; er konnte aus der Ferne die aufgewandte Mühe nicht beurtheilen; es bestimmte sich also bald der Lohn nach dem Werthe des Gegenstandes eines jeden solchen Geschäfts."

§. 2.

Dantur variae commissionum species, quarum potiores sunt haec:

1. Quae venditionem mercium concernunt (*Commissions - Verkauf*); porro
2. quae emtionem (*Commissions - Einkauf*); deinde
3. quae curam mercium transmittendarum (*Spedition*).

Nec tamen aliena est commissio a reliquis omnibus, quibus mercatura absoluuntur, negotiis. Ita v. c. committi potest cura nauis onerandae, cautionis pér assecratores, rerum cambialium, et sic porro.³⁾.

Alio respectu commissio est vel data (*gegebene*), vel rogata (*empfangene*), prout vel dominus negotii committendi id spontaneo motu expediendum dedit, vel mercator ab altero illud sibi committi rogauit.

Contrahitur negotium nostrum inter committentem, i. e. cuius commissis standum, et commissarium, eum scilicet, qui ex commissis alterius pendet. Scriptura, legitimacionis causa commissario data, *Procura*, commissa ipsa, *Ordre*, et limites in commissis obseruandi, *Limito*, id denique, quod in remunerationem studii et laboris commissario conceditur, *Provision* adpellatur.

3) LUDOVICI in dem *Handlungs-Lexicon* T. V. p. 218. ratione obiecti duo statuit commissionum genera, unum mercium, alterum cambiorum; quae tamen, re adcuratius perspensa, ad idem redire videntur, quippe quia cambia in eiusmodi negotiis naturam mercium habent.

§. 3.

§. 3.

Inter omnes commissionum species eminent ea, quae ad merces coēmendas data est (*Commissions-Einkauf*); quae sola huiusce scriptio[n]is argumentum facit.

Emitio tunc commissa seu in commissis esse vocatur, si mercator coēmptioni mercium p[re]ponitur. Contractus ergo subsistit inter p[re]ponentem et p[re]positum.

Si de natura negotii nostri et de fundamentis, illi superstruendis, quaerimus, quae res maximi est mōmenti, cardo rei in eo versatur, vt videamus, vtrum ex exemplo mandati, locationis conductionis, similisue negotii, an ex propriis iisque separatis principiis pendeat?

1. Sunt qui doctrina de exercitoria vel institutoria actione illud comprehensum putent, inter quos est C. G. Ludovici ⁴⁾; quae sententia mihi nullo modo probatur. Institor (*Factor*) enim is denum est, qui integrae alicui tabernae, seu loco cuidam ad emendum vendendumque p[re]ponitur ⁵⁾, dudumque recte monuit LEYSER ⁶⁾, institorem haud esse, nisi *toti* negotiationi p[re]positus sit; quod in nostro negotio secus est. Deinde actio institutoria quidem competit ei, qui cum institore contraxit, contra p[re]ponentem eiusue heredes, nequaquam autem p[re]ponenti aduersus eos, qui cum institore contraxerunt, nisi ille rem suam aliter seruare haud possit; quod in negotio nostro aliter se habere infra patebit. Caeterum commissarius facultate substituendi aequ[e] gaudet ac institor ⁷⁾.

2. A sensibus differunt commissarii mercatorum in eo, quod illi magis intermedii sunt inter contrahentes, quam ipsi contrahunt; deinde quod in regula a magistratu eliguntur et juramento obstringuntur; porro quod emitorem, a se inventum, indicare solent; denique quod negotiationem proprio nomine exercere vulgo prohibentur; accedit, quod eorum opera magis conciubus, quam extraneis, dicta est, et quod simul probationis causa in contractibus inenundis adhiberi solent ⁸⁾.

A 3

3) Nec

3. Nec autem mandato conuenit negotium nostrum; illud enim est gratuum; mandatario ultra fines mandati nullum proorsus arbitrium relatum; caret facultate substituendi⁹⁾. Proxime quidem accedere videor mandatum cum libera; sed discrimen manet adhuc in eo, quod mandatarius in hocce mandati genere, etiamsi intra mandati fines voluntate quantumvis ampla et libera gaudeat, tamen ultra vel citra eos ne in minimis quidem mandantem obliget. Talem anxietatem autem vti vniuerse mercaturae natura respuit, ita in specie commissiones ad merces coemendas, quippe quae raro aut nunquam euentum haberent, nisi commissario ex loci et temporis conditione et vicissitudine multa metiri, et, si res ita fert, etiam ultra vel citra commissa aliiquid audere licet. Multa sunt, quae impedire possint, quominus committens res mercatorias earumque varium nexum (*Coniunctur*), quales sint in loco commissarii, satis cognitas perspectasque habeat; porro difficile est, pretium mercium e longinquio recte aestimare earumque conditionem secundum pondus, colorum aliasque qualitates accurate determinare. Fac autem, ista omnia non impedimento esse, tamen haeret fortuna bonusque successus in re mercatoria saepius in temporis momento; quid ergo, si hoc elapsum est, ex quo mercator absens coemtionem mercium commiserat? Certe commissarius illius rationibus male consuleret, si commissa ad nouos euentus accommodare negligere vellit. Nec aliter intelligo **SAVARIL**¹⁰⁾ consilium: "ce n'est pas, inquit, à un commissaire à penetrer les sentiments et les raisons du commandant: ainsi il faut s'attacher autant que l'on peut au pied de la lettre." Pari modo **LAUTERBACHIUS**¹¹⁾ ciusmodi discrimen inter mandatum vulgare et quale inter mercatores subsistit, a nobis commissio vocatum, iunxit in verbis: "mandati fines quamuis stricte debeant obseruari, tamen inter mercatores hoc quotidianum est, ut si tibi mandem, ut meam rem non vendas, tu vero nomine proprio vendas, fines mandati non excedis."

Contra.

Contrariam sententiam tuetur RÜTTMANNVS¹²⁾), nostrum negotium ex regnis mandato praescriptis aestimandum censens, et pronisionem tanquam honorarium, quod nec mandatum respuit, considerans; neque tamen eum valde repugnaturum inquit, si quis hoc negotium contractu singulari, moribus introducto, constare dixerit. Idem nouissimus tuitus est W. Phil. CAR. SCHERER¹³⁾), non multum caeterum sollicitus, notiones discrepantes mandatarii, praepositi et institoris a se inuicem secernere, quas potius synonyms esse statuit. Conspicit etiam L. C. C. VEILLODTER¹⁴⁾), qui ex hac thesi: "der Commissionär habe gegen einen Committenten die Verpflichtung eines Mandatarius gegen den Mandanten" omnia placita de mercatura per commissarium deduxit.

4. Sed nec contractus aestimatorius hic subesse existimandus est. In hoc enim res aestimata alicui vendenda datur ea lege, vt accipiens vel rem ipsam reddat, vel aestimationem conuentam prae-stet. Qui autem ex alterius commisso aut emit aut vendit, ille, etsi aut minoris emat, aut pluris vendat, quam commisso expressum est, nihil tamen inde in rem suam vertere potest, sed omne lucrum committenti relinquere tenetur.

5. Nec aptior ad rem est negotiorum gestio, quippe quae absque mandato et inscio domino fit. Similior quidem

6. locatio conductio operarum videtur; sed in prouisione natura mercedis, quae locationi conductioni propria est, desideratur.

7. Ultimum refugium forte quaesieris in formula contractus innominati do ut facias. Ex quo autem poenitentia in contractibus innominatis secundum iura, quibus in foris vtimur, exclusa est. absit, in iurisprudentia forensi seu practica amplius contractus innominatos quaerere, nisi placeat, verbo adhuc delectari, re dndum extincta.

Restat, vt, quid ego sentiam, in medium proferam. Scilicet cunctis negotiis, de quibus hic sermo esse poterat, frustra comparatis, nihil reliquum est, quam vt commissionem moribus introductam

esse

esse, proprioque contractu constare dicamus, etiamsi eum in plerisque locationem conductionem imitari cum perill. DE MARTENS, praecitore meo pie colendo¹⁵⁾, labens fatear.

- 4) *Im Kaufmanns-Lexicon P. II. p. 1416. "Factor, Commissionär, Institut, Commiss, heißtet derjenige, der jemanden in Commissionen für Geld dient, für ihn ein- und verkauft, Waren und Geld empfängt oder wegsendet."* Eadem statnunt H. B. RORIUS de commerciis institoriis et HULD. AB EBEN de factoribus.
- 5) L. 18 D. de instit. act. IUNG Lehrbuch der Handlungswissenschaft. §. 76.
- 6) Spec. 161. med. 6.
- 7) LEYSER. Vol. XI. spec. 677. med. 15.
- 8) L. 2. D. de proxen. BüSCH Darstellung der Handlung lib. 2. cap. 5. §. 2. 3 sq.
- 9) L. 6. pr. D. mand. L. 1. § f. L. 36. §. 1. D. eod.
- 10) *Parfait negociant.* p. 278.
- 11) In iure inter mercatores usitato. Nro. 169.
- 12) In libro singulari Miscellaneorum. p. 165.
- 13) *Im Handbuche des Wechselrechts.* T. I. (Frankf. a. M. 1800.) p. 393.
- 14) *Entwurf eines allgemeinen Handelsrechts als Beitrag zu einem künftigen Gesetzbuche für Kaufleute.* Frankf. a. M. 1799. p. 65.
- 15) *Grundris des Handelsrechts.* Göttingen 1798. §. 18. p. 22.

§. 4.

Fontes doctrinae nostrae sunt vel communes vel particulares. Illi ad totam Germaniam, hi non nisi ad certum territorium pertinent. *Communes* autem, deficientibus quippe supremae potestatis imperialis sanctionibus, hic non habemus, nisi

1. recte perspectam negotii nostri naturam, vi cuius nihil in eo probari, iudicisque assensum ferre potest, quod bonae fidei et integritati mercatoriae contrarium est. Nititur enim bona fide et integritate, tanquam duabus columnis, quidquid commerciorum inter Europæ gentes floret¹⁶⁾. Accedit, quod merito id sequamur ante omnia, quod viris bonis et probis familiare est. Quid ergo naturalius, quam ut in dubio ea contrahentibus placuisse statuamus, quae non solum bona et laudabilia, sed etiam illis tanquam maxime pro-

ficua

ficia cognouimus, et ita bonam fidem et integratatem tanquam tacitam legem contractus faciamus.

Alia rei contemplatio haec est: mercaturam esse genus negotiorum, quod absque bona fide et mutua integritate procedere nequit; qui quis ergo illud suscipit, eum se tacite submittere illis duabus legibus cardinalibus et quasi fundamentalibus, eique non iniuriam fieri, si in illibus ipsius dirimendis nihil non ad dictas leges, et quae inde consequentia sunt, referantur.

Habes hic fontem uberrimum, et cuius usus quam latissime patet; pleraque etiam, quae huiusce scripti argumentum faciunt, inde hausta inuenies. Iudicem autem, ut in quoquis casu proposito diudicare possit, quaenam contra bonam fidem acta sint, rei mercatoriae peritum esse opertet; imo neminem, nisi mercatores ipsos, satis instructos in hoc genere indices esse dixerim. Quocirca si illum fontem melius aperiri magisque in usum forensem vocari volumus, nihil potius ducamus, quam ut iudicia mercatoria, peritis negotiatoribus composita, instituantur.

2. Instituti nostri historia in numero fontium ideo recenseri meretur, quia inde discere licet, quonam modo illud formatum sit, quid ei proprium quidue contrarium mercatores duxerint, quid in primis in illo secuti sint. Hac via deuenimus ad obseruantiam, quam dicere solent Icti interpretationem, item ad ius analogicum. Dolemus autem, istam viam, admodum spinosam sane, tam intentatam hucusque mansisse. Nec ommittenda sunt.

3. principia generalia, quae de contractibus in iure Romano inueniuntur, modo non repugnant instituti genio. Multi quidem sunt, qui contractum mandati, vel locationis conductionis huc transferant, et qui in quaestionibus, de negotio nostro propositis, toti ex iuris peregrini auctoritate pendeant. Quam perperam, ratio iam supra (§. 3.) patuit.

4. Consuetudines (*Usances*), si quae sint, vniuersales agmen claudant. Non autem mihi suisserim, illas probare. In iis tamen,

quae circa prouisionem obseruantur, nonnulla forte recognoscet,
quae hoc referri possunt.

Fontes *particulares* consistunt in legibus et consuetudinibus
particularibus. Mirum est, in plerisque territoriis emtione per com-
missarium sicco legislationis pede praeteritam esse, cum tamen nemo
facile sit, quin ei hocce negotium tanquam frequens passimque ob-
vium innotuerit.

In aliis territoriis sanctiones quidem extant de negotiis, quae
per procuratorem, vel per institorem inter mercatores gerantur, sed
peculiariter emtione venditionis per commissarium ratione non habita.
Hic in primis nonissima collectio iuris provincialis Borussici mihi
in mentem venit, vbi de negotiis commissariis altum silentium; leui-
ter tantum eorum mentio sit occasione prouisionis¹⁷⁾.

Nonnnnquam in statutis, in primis autem in ordinationibus
cambialibus, hoc vel illud dispositum est de venditione per commissa-
rium, emtione silentio praetermissa¹⁸⁾. Hic ad emtione vtilem
valere consequentiam puto, eodem fere modo, quo ea, quae in L. 2.
C. de rec. E. V. de solo venditore proposita sunt, ad emtorem ex-
tendere solemus.

Caeterum ius commune, quo circa negotium nostrum vtinatur, ad
id genus, quod nomine iuris non scripti circumfertur, pertinere mihi
videtur, et ad hunc diem vsque non cernitur, nisi in usu et obser-
vantia; in quo imitatur reliqua iuris patrii capita, quae simili modo
in Germaniae foris diu vixisse, et tunc demum chartis demandata
esse scimus, cum litera scripta ad cogrendam iuris peregrini auctor-
itatem opus esse videbatur.

16) MEVIUS. P. V. dec. 174. nro. 5. LAUTERBACH de iure sing. inter merc.
visit. nr. 7. I. H. BÖHMER. Consil. et Decis. T. 2. p. 1. resp. 526. nr. 6.
it. resp. 503. nr. 5. ill. RUNDE teutsches Privatrecht §. 459.

17) P. II. tit. VIII. sect. 7. §. 698-701.

18) E. g. in statutis Lubecensis P. III. art. IV. art. 5. item in ordinat.
camb. Francofurt. §. 52 sqq. Bohem-Austriaca art. 44. aliquisque quam-
plurimis, quas videsis infra.

§. 5.

Quid ergo mirum, si in hac rerum conditione doctrina negotii nostri adhuc facie inulta atque incompta incedat. In compendiis iuris Germanici communis nouissimis iisque celeberrimis virorum illustrium, RUNDII et HUFELANDII, ne tantillum quidem de negotiis mercatoris per commissarium scriptum occurrit. Quod tamen nescio an non eo forte consilio factum sit, quia illa melius libris, de iure mercatorio peculiariter scriptis, relinquenda esse videri poterant. Quidquid sit, certe non desunt scripta, quanquam perpanga, iuris mercatorii, in quibus quaesitum inuenimus, quid iuris sit in negotiatione per commissarium? Nunc res tractatur modo appendicis, ad calcem doctrinae de institutoribus et exercitoribus adiecti; nonne in transcursu modo tumultuario et perfuctorio inter alia iuris mercatorii capita nonnulla, quae parum cohaerent, monentur. Res etiam pro merito locum inuenit in compendiis iuris mercatorii, v. c. per ill. DE MARTENS, et, quod nouissime prodidit, L. C. C. VEILLODTERI, supra iam laudati. Hic in primis in singulari capite de emtione, quae sit per commissarium, egit; dubito autem, an viris harum rerum peritis satisfecerit. Partim in illius placitis desidero consecutionem et concentum; deest enim summum aliquod idque commune caput, unde rerum deductio fiat; partim magis id secutus esse videtur, ut apertum faciat, quid circa negotium nostrum in legibus ferendis adhuc supplendum, resecandum, mutandum sit, quam ut declaret legum semel latarum sensum et significationem. Sed ne illi quidem consilio par mihi fuisse videtur.

Ita quidem intacto prorsus operi, ut equidem scio, manus admoui, nisi quis eos mihi antecessores fuisse dixerit, qui de venditione per commissarium scripserunt; ideo scilicet, quoniam ea, quae de venditione valent, utiliter ad emtorem transferri possunt (§. 4.). Sed tantum abest, ut inde gloriolam captare velim, ut potius inde veniam, si quid erroneum, mancum, vel male positum lectori videbitur, impetrare exoptem.

C A P V T S E C V N D V M.

D E I N E V N D A , A D I M P L E N D A , F I N I E N D A C O M M I S-
S I O N E , A D M E R C E S C O E M E N D A S D A T A .

§. 6.

Quaero, quinam commissionis contractum de coēmendis mercibus inire possint? Neminem in genere exclusum puto, nisi quibus facultas consentiendi atque de rebus suis disponendi deest, modo sit mercator vel mulier mercatrix; ad mercatores enim totum hocce negotium, vti supra vidimus, restrictum est. Alia res est, si hocce mercaturaē genus, de quo hic sermo est, liberum et cuicunque ex populo permīssum reperitur, quod de Franco-Gallia sibi coaeua testatur SAVARIUS ¹⁹⁾). Tunc enim vel ex eo ipso, quod coēmendaē merces committuntur, qualitas mercatoris inducitur. Quidquid ergo requiritur, vt in numerū negotiatorum recipiamur, quo pertinere solet, vt ciuitati et collegio mercatorum adscripti simus, id nec a committente, nec a commissario recte abest. Praeterea quoties commissio rigorē cambiali subest, si v. c. cambiorum coēmtio mandata, vel si commissarius hoc sibi stipulatus est, vt pretium pro rebus coēmtis cambiorum via a committente sibi procurare liceret, toties simul facultas, sese resque suas cum clausula cambiali obligandi, requiritur. Hac ratione a nostro negotio arcentur minores ²⁰⁾ et imperiti in arte scribendi; quotquot enim reliqui sunt ex personis, rigorē cambialis incapacibus ²¹⁾, isti iam ideo, quia mercatores non sunt, non admittuntur.

¹⁹⁾ Dictionnaire de commerce. T. I. p.1050. et Parfait negotiant. (Geneve 1676.) p.272. "Il est permis à toutes sortes de personnes, soit marchands ou autres, d'être commissionnaires pour acheter des marchandises pour le compte d'autrui;

d'autrui, et il n'est pas nécessaire pour cela d'être reçus maîtres marchands dans les villes où il y a maîtrise etc."

- 20) Interdum loco minoris aetatis res restricta est ad certos annos, in lege determinatos. Aliam rei determinationem vides in *ordinations cambiali Bremensi* art. 61.
- 21) Enumeratas eas vide in *per ill. DE MARTENS Grundris des Handelsrechts.* §. 65. 66.

§. 7.

Cuiuscunque negotiationis obiectum est merx. Ut autem res dici possit merx, secundum Büschium ²²⁾ quatuor haec requiruntur: primo, ut multi sint, qui carere ea nequeant; deinde ut non in gremio naturae cuiilibet proster, sed interueniente opera aliqua comparari debeat; porro ut dominiam recipiat; denique ut duret per aliquod tempus integra et incorrupta.

Quaecunque ergo res vel natura proueniunt, vel arte aut industria parantur, hae, modo ex illis quatuor notis nil desit, coëmissionis causa committi possunt; quorsum etiam pertinent nummi, vel quae his sua vi aequalia sunt, cambia; quo sit, ut commissio ad coëmendas merces (*Waaren-Commissions-Einkauf*) etiam cambia (*Wechsel-Commissions-Einkauf*) in iure comprehendat, quae duo negotia ideo tamen, quia in posteriori pro singulari cambiorum natura singulare nonnulla occurunt, a se invicem separari solent.

Vt ex una parte merx, ita ex altera pretium requiritur. Si enim commissarins in mercibus commercandis vicissim etiam merces loco pretii daret, magis permutationem per commissarium (*Commissions-Eintausch*), quam emtionem haberemus.

²²⁾ *Darstellung der Handlung* T. I. lib. 2. cap. I. §. 1-5.

§. 8.

De modo contrahendi hoc viuum mones, solum consensum ad perficiendum negotium sufficere, siue detin in scriptis aut oretenus, siue per literas aut coram. Vulgo tamen per literas contrahitur, quia

inter absentes commissio iniri solet; et quidem vel expresse, si in literis responsoriis commissio oblata acceptatur, vel tacite, ubi oblata non declinatur; tunc enim e silentio consensus deducitur²³⁾.

23) LAUTERBACH *de iure inter merc. usit.* nro. 171.

§. 9.

Circa translationem dominii mercis a venditore in emtorem inter mercatores, quia nec lege nec consuetudine eorum causa aliquid immutatum scio, eadem omnia valent, quae inter alios. Nec ergo prius illorum intuitu a norma iuris Romani, dominium mercis per traditionem non transire, nisi pretium solutum, vel de eo fides habita sit, recedendum videtur, quam si adparet, alia partibus placuisse, vel iure singulari sancta esse. Dissentit quidem Büschius²⁴⁾ eumque secuti alii plures, asserentes, inter mercatores ad transferendum mercis dominium solam traditionem sufficientem praesumentam esse, ex ea nempe causa, quia quaelibet merx eo consilio venditur, ut quanto ocios rursus in aliam manum inigret. Ast si hauc rationem sequimur, non video, cur non paulo vltius adhuc progredamur; illinc enim multo magis consequens esset, vt statim a perfecta inde emtione venditione, nondum secuta quannis vlla traditio, dominium transire statuamus. Accedit, quod Büschius id agit, ut ius, quale semel, testantibus sexcentis iuris Romani locis, clara litera constitutum est²⁵⁾, e rationibus prudentiae et naturae rei, qualom sibi fixit, impugnet; qui vero ita versatur, in magis iurisprudentias legislatoriae, quam forensi, operam mihi dare videtur.

Sed ne id quidem Büschio eiusque asseclis facile concesserim, earum thesin, et quae ei consequentia supra posuimus, naturae rei conuenire. Quid enim naturae rei in toto iure magis respondet, quam ut certi siue indubitate dominiorum limites extent, et ut, deficiente partim conventione, certo constet, quando dominium ex parte huius incipiat, et illius desinat? Iam vero omnia, quae circa doctrinam de traditione in iure traduntur, eo redeunt, ut signa no-

taeque

taeque suppeditentur, quae in subsidium, si nempe de contraria partium voluntate non constat, illos limites significant. Contra si translationis dominii ex perfectione contractus pendet, talia signa externa, quibus res regi possit, deficiunt. Nec tamen in sola traditione rei, soluto nondum pretio, satis salutis est; quippe quia nihil magis a natura rei mihi abhorre videtur, quam ut emtor uno eodemque tempore rem et pretium simul habeat; id quod tamen eveniat necesse est, si emtorem ex traditione dominium facimus, antequam pretium soluit.

Non ergo mercatores habent, cur sese sanctionibus Romani iuris, in primis paragrapto quadragesimo primo Institutionum tituli de rerum diuisione, subtrahant. Datur inter eos, uti inter alios, tam vera quam ficta traditio. Illa quidem per se patet, in hac vero nonnulla singularia, modum concernentia, notari adhuc merentur. Ficta nimurum sit inter mercatores in primis triplici modo:

1. Si emtor, praesente venditore eiusue mandatario, nota sua mercatoria merces insignit; nec tamen multum repugnabo, si quis cum LAUTERBACHIO isti facto minorem vim tribuere malit, statuendo, exinde magnam quidem, sed non tantam prae sumptionem pro traditione elici posse, ut ab onere probandi liberemur. Mercium a venditore in fasciculum colligationem et nominis sive signi inscriptionem indicium esse perfectae emtionis, non traditionis, assertit HOMMELIUS ²⁶.

2. Per literas recognitionis, a nauta vel auriga datas (*Schiffsladungsschein, Land- oder See-Frachtbrief, Connoisement, Polizza di Carico, a bill of lading*), quibus nauclerus vel auriga merces, adiectio earum elenco, acceptas testatur. Harum literarum vnum exemplar remanet penes nautam vel autigam, secundum penes eum, qui merces transmittit, tertium ad eum, cui transmittuntur, perfserri debet. Scruat hic modus tradendi analogiam L. 65. pr. D. de A. R. D., cuius verba sunt: *Si epistolam tibi misero, non erit ea tua, antequam tibi redditia fuerit.* Paulus: *imo contra:*

contra: nam si miseris ad me tabellarium tuum, et ego rescribendi causa literas tibi misero, simul, aique tabellario tuo tradidero, tuae fient. Idem accidet in his literis, quas tuae dimitoxat rei gratia misero; veluti si petieris a me vlti te aliqui commendarem, et eas commendatitias tibi misero literas.

3. Per mandatarium, quippe qui cum mandante una eademque persona est. E iure naturae nil interest, vtrum ipse mercedem tradiderim, an per alium, e regula: quod quis per alium facit, ipse fecisse dicendus est. Imperatores SEVERUS et ANTONINUS in L. 1. C. de acquir. vel retinend. poss. ita rescripserunt: *Per liberam personam ignorantem quoque adquiri possessionem, et postquam scientia interuerenter, usucacionem inchoari posse, tam ratione utilitatis, quam iurisprudentia receptum est*²⁷⁾. Ut autem res per mandatarium cum effectu tradatur, requiritur:

a) vt mandatarius hunc actum auctoritate et consensu mandantis expedit;

b) vt mandatarius merces nomine mandantis acceptas habeat, idque in actu traditionis expresse declaret²⁸⁾. Sufficit autem, si ex parte tradentis animus, mercis dominium in mandantem transferdi, adest, nec necesse est, vt hunc animum verbis expresserit²⁹⁾.

24) Büsch *Zusätze zur Darstellung der Handlung* T. 5. ad lib. 4. cap. 2. §. 6. p. 248.

25) L. 41. D. de ter. diuis.

26) *Rhapsodia quaestionum*. Vol. V. obs. 689.

27) L. 10. pr. L. 13. pr. L. 20. §. 2. L. 53. D. de A. R. D. L. 41. D. de usucap. et usurp.

28) L. 15. L. 20. §. 2. D. de A. R. D.

29) L. 34. §. 1. 2. D. de A. vel A. P.

§. 10.

Effectus initiae commissionis in mutuis praestationibus, exinde descendenteribus, consistunt. Praestationes commissarii in vniuersum

eo

eo redent, ut commissa ex mente et voto committentis expedire, et in omnibus nomen laudemque mercatoris integri fideque digni reportare studeat. Nihil ex iis, quae committens secreta esse voluit, propaleat, et si viribus propriis commissis bene expediendis non sufficere putat, sensalem vel alium rerum peritum hominem auxilio sibi adiungat. Praestat autem in singula descendere:

i. Commissarius merces conuento tempore, in determinata specie et pro praescripto pretio committenti transmittat. Si vero vel mercem vel pretium committens secundum quantitatem et qualitatem non satis accurate determinauit, sibi imputet, quaecunque praepter ipsius mentem commissarius peccet; quod tamen non hoc sibi vult, ac si negotium nostrum omne arbitrium commissarii respueret, et tanquam in nouaculae acie incederet, qua vitro citraque vel tantillum resilire nefas esset. Sufficit, si committens in limitibus commissionis ponendis eam subtilitatem adhibuit, quam natura negotii recipit. Si quantitas mercium non satis determinata est, commissio renovatur ad numerum, pondus et mensuram, qualis in loco contractus seu in domicilio commissarii vsitata est³⁰.

In qualitate vaga satis est, si merces eiusdem generis coëmnatus, modo non viariosa et in frequenti commercio sint. Fac, in literis committentis nudum mercis genus *Cacao* expressum reperiri, commissarius non peccat, siue *Caracasensem*, siue *Magdalenensem* miuat.

Si nihil de quantitate et qualitate pretii conuentum, ea partibus placuisse censenda videtur, quae in loco commissarii tempore acceptae a se commissionis communis fuit, item id monetae genus, quod ibidem locorum in usu est. In quantum commissarius ultra istos limites emit, committens non tenetur, quantum vero minoris soli commissario prodest. Quo simul ea, quae supra de hac re proposuimus, adstrictius adhuc definita esse volumus. Nam quantitas pretii, quae in commissis est, tanquam finis (*als ein Limite*) con-

siderari debet, quem transilire cauendum, contra non attingere studendum est. Multo minus commissarius id, quod ultra conuentum numerum, mensuram vel pondus, siue ex mera liberalitate, siue placendi seque commendandi studio, sine denique ex causa erroris et negligentiae, a venditore datum est, sibi vindicet; imo haec omnia in rationes committentis referre debet.

Si in commissis plane non mentio facta est transmissionis, commissarius ab ea recte abstinet, et expectat, quid committens circa merces post earum coemtionem ulterius fieri velit, nisi forte transmissionis necessitas, inspecta rei natura totiusque negotii consilio, vndeiquaque sua sponte eluceat.

Si tempus transmissionis non satis definitum est, v. c. si committens vtitur voce *ciliigt*, nonnihil in arbitrium vel iudicium commissarii collatum videtur, qui per consequens non reprehendi potest, modo non imprudentes et friuolas moras nectat, vel contra bonam fidem aliquid peccauerit.

30) Fratrum OVERBECKIORUM meditationes, T. 8. med. 415.

§. 11.

2. Commissarius secum reputet, in iis, quae in commissis sibi sunt, determinandis rationem esse habitam eius rerum mercatoriarum status, qualis tempore transcriptae commissionis iuxta loco commissarii fuit. Quidquid ergo deinceps noui superueniat, et vbiunque mercatura aliam faciem induat, illico committenti denunciare tenetur, ut hic, in quantum res adhuc integra est, alium commissionis modum praescribere possit.

§. 12.

3. Committentis quidem solius est, curare, ut commissario mercium solutio rite fiat. A qua regula tamen nonnihil recedendum est, vbi committens pro pecunia cambiis vtitur. Tunc enim commissarius omnia ea, quae cambiorum natura fert, praestare tenetur,

v. c.

v. c. in praesentando, protestando et quae sunt reliqua; nec ideo
damnum, quod ex rigore cambiali hac occasione sentit, ad commit-
tentem referre potest. Quanto magis ergo ista omnia praestare obli-
gatur, si proprio motu cambiorum viam elegit,

§. 13.

4. Ad merces transportandas adhibeat nautas vel aurigas bonos
peritosque, ne dolo culpae aliena obligetur, quia tam malis homi-
nibus vsus est ³¹⁾). Caeterum virum nauta vel auriga sit commit-
tentis, qui merces a commissario auchat, an commissarii, qui eas
ad committentem aduehat, multum interest. Si hoc, traditio do-
minii fit per exonerationem vehiculi in loco committentis, si illud,
per onerationem ipsius in loco commissarii.

³¹⁾ L. 7. §. 4. D. *nautae, campones etc.*

§. 14.

5. Mercibus ipsis adiungat literas recognitionis, ut adpareat,
quales merces auriga vel nauta reperitur. Illarum literarum vis in
eo consistit, ut per eas traditio symbolica absolutuatur.

Quae alias iuris sunt circa mutationem vel revocationem lite-
rarum recognitionis, semel emissarum, nondum autem ad eum, cui
destinatae sunt, perlatarum ³²⁾), num hic locum inuenire possint,
vbi agitur de mercibus committenti emtis eique iam adquisitis, mul-
tum dubito.

Caeterum singula contenta illarum literarum enumerare merito
supersedeo. Hoc vnum monco, male in Germania earum tenorem
restringi ad solum committentem, nulla substitutionis (*Ordre*) men-
tione facta, cum tamien facile fieri possit, ut merces ad committen-
tem, qui solus nominatus est, peruenire nequeant, vel ut committens
aliorsum eas destinare malit. Consultum itaque est ex parte com-
missarii, clausulam substitutionis inserere, qua nec ipse deterioris
conditionis sit; committens enim plus iuris in substitutum transferre

nequit, quam ipse habet. Et ita iam dudum apud Anglos et Batavos receptum est. Illi classulam verbis *or to his assings*, hi formula *ofte aan eyuen facteur ofte gedeputeerden exprimere solent*³³⁾.

32) WIDOW diss. de dominio mercium interuenientibus literis recognitionis transmissarum motu concursu creditoribus cedente. (Gotting. 1761. Erford. rec. 1783.) Sect. II.

33) Basen in den Zusätzen zur Darstellung der Handlung. T. 3. p. 214.

§. 15.

6. Curare debet, ut rationes ad committentem satis mature perveniant, scilicet ad minimum non serius, quam merces, ut inde, literis recognitionis simul in subsidium vocatis, discere possit, qualem exitum commissio habuerit.

§. 16.

7. Ut autem rationes, in quibus nihil peccatum nihilque omissum sit, et quae in omnibus contractui respondeant, reddere possit, libri mercatorii semper ei ad manus sint, in quibus partim commissa ipsa (*Advis-Buch*), partim quae in ea expensa vel accepta sunt (*Factur-Buch*) notet; id quod eo magis necessarium est, quoniam nomen committentis in coemendis mercibus saepius supprimi solet. Tunc extremae necessitatis est, ut recursus sit ad libros mercatorios, quibus solis nunc apertum fieri potest, cuimur merces destinatae sint, modo non dubites, de quo dubitari nequit³⁴⁾, libros mercatorios non solum quoad venditionem mercium, sed etiam quoad earum emtionem semiplene probare. Eiusmodi librorum vel rationum interna oeconomia non huius loci est; id tamen ex superioribus satis liquet, diem transmissionis, nomen, cum transmittentis, tum eius, cui transmittuntur, nec non aurigae vel nautae, porro mercium qualitatem, quantitatem, præcium, signa et numeros, denique etiam impensas, in merces factas, exprimi debere.

34) SCHORCH Collect. select. respons. facult. iurid. Erfordiensis. P. I. sent. 104.

§. 17.

§. 17.

8. De securitate vulgari itineris caueat. Ex natura negotii neutram hoc deriuari potest, vt commissarius assecuratores conducat, qui periculum mercis recipient; imo vt hoc recte fiat, expressa vel tacita conuentione opus est. Fac ergo, merces in itinere casu periisse; etiamsi tempore incepti itineris pericula imminebant, tamen ex causa neglectae securitatis per assecuratores commissarius non tenetur, modo, vt iam dixi, de assecutoribus adhibendis expresse nihil mandatum sit, nec aliunde probabilit̄ committentis voluntas eluceat, v. c. ex eo, quod ei solemne sit, adsecuratores adhibere. Quod si vero commissarius expressa committentis praescripta in hoc genere neglexerit, ipse instar adsecutoris tenetur.

§. 18.

9. Ratione dominii, in mercibus adquirendi, committenti nil detrahatur vel interuertat. Quaeritur autem, ex quo committenti dominium mercium adquiratur? Res est difficultatis plena, vt mihi quidem videtur, nec ab ullo adhuc, quotquot de iure mercatorio scripsierunt, satis perspicue exposita. Quid ergo mirum, si eam aggredi pro virium iuuenilium tenuitate admodum mihi arduum, imo temerarium ducam? Verum enim vero quia multum condonari solet in rebus nouis atque intentatis, tum etiam quoniam plus expecto ab humanitate lectorum, quam ab ingenio meo, age! videamus, quid valeam.

Principiis supra positis: acquisitionem dominii mercium inter mercatores in emtione venditione ex una quidem parte fieri posse per procuratorem, ex altera autem non absque traditione, solutione pretii facta, vel fide de eo habita, nunc ante omnia ita distinguendum mihi videtur:

I. Vel eiusmodi merces, quales in commissis sunt, in ipsis commissarii bonis tempore initiae commissionis iam inueniuntur, et ex inuentis merces, committenti transmittendae, a commissario su-

muntur. Hic (nisi potius commissionis negotium prorsus non adesse statuere malimus) res ita consideranda est, ac si commissarius penes se ipsum procuratorem ageret, et, quae uno homine confusa est, duplex persona, quoad effectus iuris resoluti debet. Quo sit, ut, simulac commissarius secum constituit, se velle has vel illas merces ex horreo suo committenti secundum legem commissionis transmittere, easque tanquam a tertio quodam commissionis causa sibi traditas accipere, committens earum dominus fiat; ex eo nempe transeunt a commissario, qua domino, in commissarium, qua procuratorem seu mandatarium, et quidem, quia nemo sibi ipsi vere aliquid tradere potest, per traditionem breui manu; simulac autem commissario, qua procuratori, statim etiam ipsi committenti adquisitae sunt. Idem caeterum est, quonam modo illud propositum, cum animo traditionis imaginariae coniunctum, declarauerit. Tale propositum autem praesumitur, si merces transmittendas a reliquis suis mercibus separavit, vel si facturam committenti misit.

II. Vel commissarius, mercibus e genere commissarum tempore initiae commissionis in propriis bonis non inuentis, tales merces antea sibi comparat, eo consilio, ut eas deinde committenti transmittat. Hic quidem pariter, ac in casu priori, commissarius duplēcē agit personam; sed de translatione dominii in committentem antea sermo esse nequit, quam commissario adquisitio facta est. Itaque quāmuis commissarius merces commissionis causa sibi comparet, eoque ipso animū transmittendi testatum faciat, tamen hic animus, quantumvis cum proposito traditionis imaginariae coniunctus, inefficax est, quia nemo rem in alterum transferre potest, qua ipse adhuc caret. Facta autem semel commissario adquisitione, statim ille animus illudque propositum vim suam exercere potest, atque ita dominium mercium uno actu in commissarium, et per eum in committentem transit; et quidem eo magis, quia adhuc separatae a mercibus commissarii propriis extant; nec tamen dominium, semel commissario adquisitum, eo rursus perit, quod commissarius merces ante transmissionem

missionem cum propriis confundit. Alia res est, si commissarius merces simpliciter sibi emit sibique adquirit, incertus adhuc, vtrum eas deinceps committenti transmittat, an alias pro rorsus merces ad transmittendum coemat. Hic enim merces commissario ex sola sua persona adquiruntur, quamquam modo quodam resolutio. Si resolutio sequitur, eo quod deinceps merces, quia forte aliarum coemendarum occasio non datur, transmissioni in committentem destinantur, valent eadem, quae paulo ante sub nr. I. in casu primo vidimus.

III. Vel commissarius merces emit a tertio quodam procuratio nomine, non ergo *ex propria persona*, sed ex persona committentis, et quidem ita, ut illae commissario tradantur, et ab hoc committenti statim adquirantur a tempore traditionis, commissario factae, non transmissionis, vel aduentus ex itinere, modo praeter traditionem etiam pretium solutum, vel de eo fides habita sit.

Vtrum pretium a committente iam refusum, reliquisque obligationibus, erga commissarium occasione commissionis contractis, ab eo iam satisfactum sit, nec ne, nil interest. Nam tanquam commissarius omnia ad commoda committentis referre debet, nihilque sibi reseruare licet, etiamsi committens in mora sit, prout etiam in mandato et in sensalibus iuris esse scimus. Porro nil interest, vtrum merces nummis vel fide committentis, an commissarii emiae sint, ex tria illa iuris norma: rem non succedere in locum pretii.

Quod ad possessionem ciuilem attinet, ea manet et transit cum dominio. Possessio naturalis autem in committente tunc demum incipit, quando in eius potestatem peruenit.

IV. Vel inter commissarium emtorem et venditorem connentum, merces, pro committente coemtas, statim huic, absque persona intermedia commissarii, a venditore tradi debere. Hic res in liquido est; committens eni dominus fit inde a momento traditionis, sine verae sine fictae³⁵⁾.

35) Quatuor illi casus, quos enumeraui, facile principes sunt, multoque
alios inferioris ordinis comprehendunt. Si cui libuerit, omnes corum
variationes scire et examinare, is sibi commendaram habeat methodum,
ab illi HINDENBURGIO *) propositam. Scilicet tria dantur momenta,
vnde pender mercis dominium: primum, utrum committentis, an
commissarii nomine sit emta? secundum, utrum committens, an com-
missarius, solutionem, sine pecunia parata; sine fide de pretio habita;
praesertim? tertium, utrum merx committenti an commissario tra-
dita sit? Iam ex gemina serie trium notionum, nominis, solutionis,
traditionis, quarum una ad committentem, altera ad commissarium
pertinet, conternationes effingas, ea lege, ut nulla species (*Form*) ex eius-
dem generis elementis (*gleichartigen Elementen*) plus quam singula conti-
nent. Octo diversas compositiones seu comparationes (*Variations-Formen*
zu drey Elementen) inde prodire videbis; quarum v. e. prima est, vbi
merx committentis nomine emta, pecunia ipsius soluta, eique tradita
est; secunda, vbi committentis nomine emta, pecunia ipsius soluta,
commissario vero tradita; tercia, vbi committenti nomine emta,
pecunia commissarii soluta, et committenti tradita est, et sic
porro. Compendii causa illa tria elementa, quatenus ad committenteum
spectant, per literas maiusculas N. S. T. quatenus autem ad commis-
sarium, per minusculas n. s. t. exprimamus; itunc omnes illae varia-
tiones, quotquot cogitari possunt, vna serie oculis ipsis ita subiici
possunt:

Cit Css

T S

S n

N.

Terniones: NST. Nst. NsT. Nst. nST. nSt. nsT. nst.

*) Ueber den höchst wichtigen Einfluss der Combinationslehre auf die
Analysis, in libro: Der polynomische Lehrsatz, das wichtigste Theo-
rem der ganzen Analysis nebst einigen verwandten und andern Sätzen von
TETENS, KLÜGEL, KRAMPP, PFAFF und HINDENBURG. (Leipzig
1796.) pag. 271.

§. 19.

Quibus expositis, ex re erit, nonnullas adhuc obseruationes,
tam ad argumentum magis illustrandum, quam adcuratus definitio-
num adiicere,

i. Quatuor

1. Quatuor illi casus ad duo capita melius redeunt. Alterum est, si commissarius mandatarium inter committentem et venditorem, a persona commissarii separatum, agit; quo pertinet casus tertius et quartus; alterum, ubi commissarius mandatarium inter committentem et semetipsum venditorem agit, ita ut sibi quasi ipsi intermedius sit; quo pertinet casus primus et secundus.

2. Casus quartus hoc singulare habet, ut ibi negotium nostrum tantum ex dimidia parte commissarium sit, scilicet non nisi ex ipsius ingressu, non autem ex parte implementi. Simulac emtio venditio perfecta est per commissarium, traditione impletur, neglecta persona commissarii, directo modo inter venditorem et committentem.

3. Multum a genuina nostri negotii natura recedunt casus primus et secundus, partim quia in hisce casibus commissarium vidi-
mus mandatas merces emere, ut proprias simul vendat, ideoque tanquam mandatarium in rem suam; partim quia in commissario du-
plex persona ibi coincidit, emtoris et venditoris; emtor est nomine alieno, venditor nomine proprio. Sufficit autem, verbo monere,
quoniam contrarium iuri ciuili sit, ut is, qui aliena gerit negotia, autor
in rem propriam fiat, vel ut unus contrahentium legem contractus
in alterius arbitrium conferat.

4. Si dubium est, utrum commissarius eas merces, quas ex genere commissariorum coemit, sibi primum enerit, et deinceps de-
mum, mutato forte consilio, committenti transmiserit, an statim commissario nomine, quaeritur, quid praesumendum sit? Quaestio magni est momenti! Fac enim, commissarium post traditionem mer-
cis, a venditore sibi factam, sed ante ipsius transmissionem ad com-
mittentem, bonis cedere, tunc omnis contentio inter committentem et creditores commissarii, utrum merces illi cedere debeant, quia commissario vice committentis, an his, quia eidem ex propria per-
sona traditae fuerunt, ex quaestione modo proposita penderet. Si com-
missario vice committentis traditae, committens eas iure dominii a massa concursus separat; si contra nomine proprio, eae partem mas-

sae faciunt. Imo illa quaestio toties mouebitur, quoties vel in illo intermedio tempore aliquid aduersi circa merces eueniet, ita ut commissarius eas malit committenti, quam sibi habere, vel quoties aliquid secundi, ita ut eas malit in proprias, quam alienas rationes referre.

Non dubium mihi videtur, praesumendum esse, commissarium sibi emisse; hoc enim vulgare et commune est, ut quilibet in re propria versetur; rarius est, ut in aliena. Cur ergo non magis pro regula quam pro exceptione respondeamus? Ex eadem certe ratione Mevius ³⁶⁾ statuit, si ambigatur, cuiusnam status vi actus aliquis susceptus sit, maioris et efficacioris conditionis rationem esse habendam. Idem seruamus in administratione tutelae, vbi tutor in negotiis, quae aequae ad ipsum, quam ad pupillum pertinere possunt, sibi potius, quam pupillo negotium gessisse censemur.

Obiicies, illam praesumptionem commissario nimis proficiam esse. Vix autem in hac opinione perseveraueris, modo tecum reputes, eandem praesumptionem, quae in euentu temporis intermedii aduerso fauorabilis est commissario, ei fieri molestam in euentu secundo.

Nec praesumtio eliditur eo solo, quod merces pecunia committentis ematae sunt. Fac autem, accedere suspicionem contra commissarium ex eo, quod in eo genere mercium, quas coemit, negotiationem propriis rationibus hucusque non exercuit; tunc nescio sane, annon rectius illa praesumtio contrariis argumentis victa habeatur.

5. Periculosum esse videtur, vt iis merces committas, qui propriam mercaturam exercent; si enim incidis in hominem fraudulentum, is largam occasionem, sub specie propriae negotiationis te decipiendi, sibi hic suppeditata ipueniet; inprimis si negotiatio ipsius propria etiam id genus mercium, ex quo commissae sunt, comprehendit. Nunc tibi, nunc sibi merces a se emtas esse simulabit, prout vel profici vel mali aliquid circa merces ante earum transmissionem accidit. Eiusmodi fraudibus occurri quidem posset per legem,

legem, qua commissarii propriam negotiationem, in primis in eodem genere mercium, ex quo commissae sunt, exercere prohiberentur; id quod ex simili ratione in sensalibus passim factum esse scimus. Sed libertas commerciorum tales prohibitiones aegre fert; nec sane lege opus est, ubi mercatores, sibi ipsis relicti, satis tuti atque satis defensi a fraudibus hominum sunt eo solo, si ipsis non utuntur. Qui autem mercatori, etiam ex propria mercatura suspectus sit, nimis fidit eique merces committit, is sibi habeat, si fallitur. Contra lege interdicere fidem, periculosum, ipsique fidei, qua sola commercia florent, perniciosum est. Haud ergo lege sanciatur, suspecto non fidere; modo id caueatur, ne in obscuro sit, quinam sint suspecti. Quocirca, ne quis se tamquam non suspectum simulet, itaque eum, qui a suspectis abstinere malit, ad sibi fidendum inducat, consultum mihi videatur, in legibus ferendis id attendere, primum, ut commissarii, mercaturam propriam exercentes, antequam commissionem recipiant, aperte declarare debeant, sibi in eodem mercium genere, ex quo commissae sint, propriam negotiationem esse, deinde, ut illis certe, ista declaratione omissa, non liceat, ad praesumptionem, se merces sibi emisse, vel non emisse, in praeiudicium committentis pronoscere.

36) Decis. V. 291.

§. 20.

His ita positis, vix opus est monere, alienationes vel oppignorationes mercium coemtarum, simulac earum dominium in committentem transiit, commissarium sibi prohibitas ducere debere, nulla ratione discriminis habita, utrum merx sit species, an genus. Tales alienationes sunt nullae, conualescunt tamen, subsecuta committentis ratihabitione, quae etiam intercessisse praesumitur, si commissarius alias merces eiusdem quantitatis et qualitatis in locum priorum ita surrogat, ut conditio committentis inde non deterior fiat. Lucrum autem, quod commissarius ex tali mercium alienarum vsu percipit, in rationes committentis referre debet.

D 2

Alia

Alia res est, si emtae quidem committenti sunt merces, nondum autem adquisitae. Tunc commissarius eas cum effectu alienat, sed quanti committentis interest, res non sibi sed alii adquisitas esse, id praestare tenetur.

§. 21.

Damna, dolo vel culpa data, resarciat, v. c. si merces corruptas misit, sive sint tales factae in itinere ex virtute eius, qui eas male colligavit vel compegit, sive a venditore iam tales datae, vel si nimis tarde eas misit, vel si malum aurigam vel nautam elegit, vel literas recognitionis et rationes ad committentem perferriri non satis properauit, et quae sunt reliqua. Quot quaeso incommoda et iacturae exinde committenti nasci possunt! Merces corruptae emtorem non inueniunt, immo sinceras trahunt; non iusto tempore missae, spem lucri fallunt; absque rationibus missae, nondum vendi possunt, ob incognita adhuc earum pretia; absque literis antem recognitionis missae, in alios indossari nequeunt, et ita fieri potest, ut interea opportunitas lucri elaboratur. In aestimatione damni non solum id, quod emergens vocatur, sed etiam lucrum cessans spectatur, in cuius probatio contentus esse solet iudex iam sola probabilitate³⁷⁾. Exceptio vel excusatio, a venditore petita, non auditur; commissarius enim in arte sua versatus est, sibi ergo habeat, si a venditore laesus est. Culpa autem commissarii non attenditur, nisi leuis, et quidem in concreto; rigor enim mandati in hoc genere huc transferri nequit.

37) LAUTERBACH de iure sing. inter merc. usit. nro. 101.

§. 22.

Transimus ad praestationes committentis, quae non pliter, ac reliqua omnia, quae ad implementum commissionis pertinent, vel ex contractu ipso, seu ratificatione eorum, quae citra illum a commissario gesta sunt, vel in subsidium ex legibus et consuetudinibus oriuntur. Quae hinc spectant, sunt:

1. Ut pretium pro mercibus coemtis soluat. Si de tempore modoque solutionis quaeritur, ante omnia videndum, quid partibus placue-

placuerit. In subsidium autem quid iuris sit, iam sigillatim dispi-
ciantur, ratione tamen chartae angustiarum habita, quibus non nisi
in potioribus subsistere cogimur.

Quod ad tempus solutionis attinet, si fides habita est de
pretio, res per se liquet. Pariter si venditor pecuniam paratam sibi
stipulatus est; solam enim naturam emtionis venditionis, quam inter
omnes notam supponimus, ducem sequamur. Itaque fide quantumvis
de pretio non habita, committens tamen satis mature soluit
tempore, quo merces commissarii traduntur.

Caeterum modus solutionis quisnam sit, siue fiat per trans-
missionem pecuniae paratae, siue per assignationem, siue per cam-
bia, committentem vel tamquam remittentem vel trassatum refe-
rentia, siue denique per merces in solutum datas, eodem reddit.

§. 23.

2. Prouisionem soluat. Computatur secundum partes quotas
pretii, et simul, suadente aequitate, expensarum, iuxta pretium
factarum, in eodem nummorum genere, quo pretium debetur. Quot
partes quotae debeantur, nisi verba ipsa contractus loquantur, non
eadem omnium sententia est. In quinquagesima communiter con-
spirare, ait Büschius ³⁸⁾), plerasque Europae provincias, quotquot
carum mercaturae operam dant. Contra Ludovici de centum tres
concedit. Evidem dubito, an communis norma probari possit,
quae certe per istum dissensum hercle! non iuuatur. Nil ergo sa-
nius, quam ut in subsidium in hoc genere ad id recurramus, quod
vus loci, quo commissarius viuit, fert, ratione simul habita generis
negotii commissi; iste honor iure tribuitur foro contractus.

Caeterum si quis in computanda prouisione communi formula
vii velit, is scribat v. c. p = $\frac{x(A+U)}{100}$, ita vt x significet, quot
centesimae debeantur, A pretium, quo emitte sint merces, U deni-
que complexum expensarum. Exempla computationum, quibus res

magis illustratur, in omnibus fere libris, de disciplina rei mercatoria scriptis, reperiuntur, v. c. in BOHNII *wohlerfahrnem Kaufmann.* T. 2.

Quid autem, si commissarius periculum mercium in itinere recepit, vel, si commissio ad cambia coemenda data est, de horum solutione respondit (*del credere stehet*)? Tunc prouisio sane crescit.

38) *Darstellung der Handlung.* Lib 3. cap. 2. §. 4.

§. 24.

3. Obligatur committens, vt impensas, in suam vtilitatem factas, commissario restituat, quanvis committens, si ipse gessisset negotium, forsitan minus impendisset; respicitur enim conditio commissarii; vsurae etiam pecuniae, in rem committentis erogatae, a commissario recte exiguntur.

Resarciat, damna, a commissario occasione commissionis perpessa, quorum intuitu mandanti dolus vel culpa potest imputari.

Si ex voluntate committentis in securitatem mercium adsecutores exhibiti sunt, committens ea omnia praestet commissario, quibus satisficeri possit illis alieni periculi quasi conductoribus.

§. 25.

4. Quaenam vero hic dantur legitimae vsuraru[m] causae? Non dari eas, facile patet, si commissarius eo tempore, quo merces sibi traduntur, pretium, in pecunia parata a committente transmissum, jam tenet, ita vt venditori statim inde satisfacere possit, vel si literas cambiales erga valutam in committentem tempore traditionis scripsit, vel si fidem ei de pretio habet. Sin minus, vsurae debentur; et quidem, re in partes resecata, ita sigillatum statuendum mihi videtur:

a) Venerarum cursus incipit ex mora soluendi. Mora committentis autem intuitu commissarii eodem temporis momento initium habet, quo commissarii intuitu vendoris, nisi vel committens, siue ante siue post traditionem ei factam, fixum diem solutionis sibi agno-

agnouerit, quantumuis morae commissarii non respondentem, vel commissarius committenti fidem de pretio habuerit.

b) Quoniam mora committentis ex mora commissarii pendet, satis patet, ex quo debeantur vsurae commissario a committente tunc, si illi a venditore, fide de pretio habita, certus solutionis dies post traditionem praefixus sit. Scilicet illi non debentur inde a traditione, sed a die solutionis. Alias enim committens duplicitibus usuris subeset, aliis, quas vendor ex aucto propter non paratam pecuniam pretio, alias, quas commissarius acciperet.

c) Num commissarius committenti de pretio fidem habuerit, res facti est, quae ab allegante probari debet. Ad quaestionem affirmandam non sufficit, si commissarius merces transmittit committenti, quamquam ab hoc nondum solutas. Quis enim venditorem per traditionem pecuniae paratae renunciare voluisse dixerit? Imo emtor emit, vt mercem, vendor vendit, vt pretium habeat; mora vti non in illius, ita nec in huius consilio est; quidquid etiam in contrarium moneant MEVIUS aliique, pronocantes ad L. 39. D. de solut. et L. 20. C. de pactis³⁹⁾; atqui par ratio est in commissario, ac in venditore. Bene vero

d) praesumptio de fide habenda inde enascitur, si commissarius quidem literas cambiales in committentem solutionis causa scripsit, sed quae totum pretium non exhauriunt; tunc de reliquo fidem habere videtur. Protestatione cambiorum secuta, usurae ex eo die currunt, quo illa ad commissarium reuertuntur, et quo nonissimis indossantibus pretia cambiorum restituit. Quisnam protestationis expensis ferat, id ex eo pendet, vtrum committens speciali prohibitione, commissario facta, de cambiis solutionis causa in se non scribindis, sibi prospexerit, nec ne? Si illud (quod tamen non prae sumitur, quia solutio per cambia inter mercatores frequentissima, iisque neutiquam innisa est), expensae sunt commissarii, sin hoc, committentis.

e) Quantae

lxxv. e) Quāntae ysurae commissario debeantur, satis quidem definitum esse videtur in R. I. N. §. 174., ex quo quinque pro centum exigere licet. Vereor autem, ne ista sanctio ad mercatores minus quadret, quippe qui suam pecuniam longe vltra illud foenus facile collocare possunt. Quo inducor, vt absque ullo prauitatis ysuriae vitio vteriores ysuras exigere, commissario lubens concesserim.

Caeterum illae quinque obseruationes cum iudicio sunt intelligendae et in usum vocandae. Supponitur enim in illis, venditorem, separata persona cum commissario contrahentem, adesse, tum etiam, ne traditio mercium directe et absque intermedia commissarii persona facta sit. Quod tamen non impedit, quo minus illae transferri possint ad reliquas tres commissionum species supra propositas, modo cuilibet pro eius varia natura magis accommodentur.

59) Fratrum OVERBECKIORUM *Meditationes*. T. 8. med. 416.

§. 26.

5. Periculum mercium ferat, ex quo emtio venditio perfecta est. Ita enim seruatur in iure ciuilli, vt, nondūm perfecta emtione venditione, periculum et commodum ad venditorem, et iam perfecta, ad emtorem pertineat, tametsi res vendita emtori nondūm sit tradita ⁴⁰). Atqui emtor est committens, quamquam per commissarium. Supposuimus autem, commissarium non sibi sed committenti emissum. Quidsi vero de propriis commissarii mercibus in committentem transmittendis sermo est, sine tempore commissionis acceptae iam in commissarii bonis fuerint, sine postea comparatae sint, illa regula fallit, et periculum in committentem statim ex eo a commissario transit, ex quo hic declarauit, siue verbis siue factis, se velle merces tamquam committenti venditas habere.

Ergo ad committentem pertinet:

- a) quidquid damni ex iniuriis brutaee naturae accidit, v. c. per incendia, inundationes, maris procellas, animalia irrationalia, vel
- b) ex iniuriis hominum malorum, v. c. furum et piratarum, vel denique
- c) ex

c) ex arresto, a supra potestate imposito; quo tamen contractus inter committentem et commissarium non rescinditur. Nam contractu semel perfecto, sed nondum impleto, illa coercitio quidem de non transportandis mercibus in alias terras omnino tenet commissarium, sed ei non impedimento est, quo minus merces intra fines territorii vel regni, quounque committenti libuerit, mittat. Per se autem intelligitur, solum committentem damnum sentire, quod ex tali violentia, publice illata, oritur, v. c. si res alium exitum habere nequeat, quam ut merces coemtae rursus vendantur, sed non tanti, quanti emtac; nihil secius tamen ille prouisionis, impensarum aliorumque huiusc generis incommodorum oneri subiectus manet; quodsi vero contractus sit initus post illam prohibitionem, inde nec actio nec exceptio, quia nullitate laborat, descendit.

40) §. 5. I. de emt. vend. L. 8. pr. de peric. et commod. rei vend. Strauß
BEN rechtl. Bedenken. T.I. Bed. 65. p. 247.

§. 27.

Quodsi committens ex illis aliquid praestare recusat, commissarius implorare potest iudicem. Facillima autem via ei patofacta est in iure retentionis, in iure sequelae mercatoriaie (*droit de suite*) et in arresto.

Primum de iure retentionis videamus. Quaeritur, num commissarius in mercibus coemtis illo iure gaudeat, scilicet propter ea, quae ei ex causa commissionis a committente adhuc debentur? Quod vtique affirmandum videtur, omnibus scilicet iuris retentionis requisitis hic quadrabitur. Alia ratio adhuc in eo latet, quod secundum leges civiles vel eae res recte retineantur, quae sub conditione restitutionis a dominis ante traditae fuere, quod accidit v. c. in commodato, vel deposito; quanto magis itaque eae, quae alteri non restituenda, sed nunc primum dandae sunt. Accedit, quod longe plurimae ordinationes cambiales ⁴¹⁾ illud ius expresse tribuunt commissario, ad vendendum constituto, a quo ad commissarium emtorem tuto concludere licet, ex iis certe quae supra (§. 4.) propinavi. Digna

E

autem

autem est, quae hic adhuc memoretur exceptio in ordinatione electorali Palatina articulo 54. hisce verbis expressa: *es wären dann solche Effecten erweislich schon verhypothecirt oder verpfändet gewesen und von sothaner Verpfändung der Inhaber Wissenschaft gehabt, sofort ihm bekannt gewesen, im welchen Falle das ius retentionis nicht Platz hat, sondern denen ihren bekannten Rechten, der unumgängliche Lauf gelassen werden soll.* Eadem restrictio invenitur in ordin. camb. Iuliacensi art. 57.

41) v. c. Francof. art. 54. Bohem.-Austriaca. art. 44. Elbigens. art. 66. Gedanens. art. 34. Lipsiens. §. 34. Bremens. art. 56. Hamburgens. art. 46. Palatina art. 60. Iuliacens. art. 58. Augustana cap. 14. §. 1. Norimberg. cap. 8. §. 1. 2. Breslau. §. 40. Brunov. art. 53.

§. 28.

Alia securitas, affinis ei, quam ius retentionis commissario praestat, datur ei per ius sequelae mercatoriae, apud Franco-Gallos sub nomine *droit de suite visitatae*. Vi huius iuris mercator ea vi pollet, ut merces suas, quamquam in emtorem iam translatas, si propter debitoris inopiam nulla solutionis spes amplius superest, vindicare possit, modo in Franco-Gallia illarum adhuc copia sit.

Non est sane, quod illud ius a nostro negotio alienum esse putemus. Certe in *venditione* per commissarium (*Commissions-Verkauf*) illud in vsu esse testatur Büschius⁴²⁾; imo nonnulla ipsius exempla, e foris Germaniae petita, indicavit alio loco⁴³⁾. Cur ergo dubitemus, illud etiam ad *emtione* per commissarium (*Commissions-Einkauf*) transference?

In *venditione* ita fere sese exercit. Fac committentem specificationes mercium (*Connossement*) commissario transmissee, atque hunc literas combiales, ab illo usque ad duas dimidias pretii mercium (vt moris est) in se scriptas seu trassatas, iam acceptasse, et tunc bonis cessisse. Quis mihi negauerit, dominium mercium in committente iam dudum desiisse? tamen ope sequelae mercatoriae eas salvavas ex concursu habebit.

Pari

Pari modo confugium est in hac sequela commissario in *emtione*; si committens, postquam specifitationes mercium iam ad eum missae, et cambia, solutionis causa trassata, iam ab eodem acceptata sunt, ad inopiam redigitur. Hic emtor facultate, merces suas quasi iure post-liminii reuocandi, gaudet. Alia quaestio est, num ista sequela mercatura rationibus conueniat? Quae neganda mihi videtur. Certe illud ius mercatoribus Bremensibus et Hamburgensibus admodum inuisum esse scio.

- 42) In eius *Zusätzen zur Darstellung der Handlung*. T.I. p.280.
 43) In libello singulari: *Publicistisches Gutachten über das von der Stadtschen Regierung confiscaute Schiff*, deinceps inserto der *Handlungsbibliothek*. T.5. fasc.4. p.32.

§. 29.

Praeterea commissarii securitas eo etiam promouetur, vt arrestum mercium, quae non amplius in ipsius potestate sunt, impetrare possit. Exemplum in promtu est. Fac, cambia, solutionis causa a commissario in committentem trassata, cum protestatione de illis non acceptandis reuerti, merces autem iam in itinere esse; hic commissarius ex una parte remittenti satisfacere tenetur, ex altera parte autem merces ex illius manibus iam elapsae sunt, ita vt tam pretio quam re ipsa careat; nihil ergo in hac rerum conditione naturalius iurique magis congruum videtur, quam vt commissarius merces arrestari curet. Supponitur autem, nec commissarium fidem de pretio habuisse, nec eum solutionis modum, qui in cambiando consistit, ex lege commissionis exemptum fuisse. Semel autem mercibus imposito arresto vinctis, commissario satisfactio antea omnino praestanda est, quam villa committentis dispositio de vteriori illarum destinatione villum effectum habere possit.

Quaeritur, num ad arrestum per mandatarium impetrandum requiratur speciale mandatum? Ex rationibus iuris communis requiritur. Sed ex sententia plurimorum iureconsultorum sufficit, si mandatarius, neglectis formalibus, literas, de impetrando arresto ad se scriptas,

produ-

producit, nomenque verum esse demonstrat; ratio est, quia res inter mercatores agitur, in quorum negotiis externa forma et solennitas parum curari solet.

§. 30.

De modis, quibus obligatio inter committentem et commissarium soluitur, ultimo loco disserendum venit.

1. Illam mutuo dissensu dissolui, per se intelligitur, simulac partibus placuerit, sive iam aliquid actum sit a commissario, sive non.

2. Contra alterutrius dissensus non sufficit, etiamsi res catenus adhuc integra sit, ut commissarius merces commissas nondum coēmerit, nec ullam obligationem ex causa commissionis cum tertio quodam contraxerit. Nam semel inita commissione lucrum inde expectat commissarius v. c. per prouisionem, quod ei inuitu eripi nequit. Merito ergo committens, ex ipsius parte implemento contractus non sequuto, ad omne id tenetur, quod commissarii interest, coētione mercium lege conuenta factam non esse, nisi forte committens ex speciali sanctione vel pacto, quale passim occurrit, sola solutione dimidiae prouisionis liberetur. Multo minus illam reuocare licet, si iam incepta, nondum autem finita sit commercatio. Alia res est, si quis ex contrahentibus sibi ins poenitendi reseruauerit, vel si ab ingressu negotii clausula rebus sic stantibus adiecta sit. Ista clausula autem in nostro negotio, etiamsi non expressa sit, tamen semper subintelligenda est eo effectu, ut committenti liceat, commissa modo nondum adimpleta, reuocare, si quid supernenerit, cur commissio ei ex iusta causa displiceat. In qua re nostrum negotium multum recedit a mandato, quod a mandante aequa ac a mandatario reuocari potest, modo ex parte mandatarii tempestine et absque fraude fiat. Bene autem.

3. finitur commissio morte, tam committentis, quam commissarii, nisi forte in heredes expresse sit directa. Quae vero ex iusta mortis vel reuocationis ignorantia commissarius gessit, vel re non amplius

amplius integra adimpleuit, mandans eiusue heres agnoscere teneatur. Denique

4. exspirat naturaliter, si acta sunt, quae a commissario agenda erant, vel si commissio propter defectum mercium coemendarum, vel alio casu interueniente effectum habere nequit.

C A P V T T E R T I V M .

DE NEXV COMMISSIONIS CVM EXTRANEIS, QVIBVS CVM COMMISSARIVS IN REM COMMITTENTIS CONTRAXIT.

§. 31.

Actio ex commissione datur committenti et commissario inter se; extraneo vero contra illos, quibuscum contraxit, non illa actio ex contractu, ex quo nata est illa obligatio, competit. Extraneorum nomine hic in primis venire possunt venditor, auriga vel nauta, assecutorares.

Cum venditore igitur ex emto agitur; et quidem habita ratione huiusc distinctionis. Vel sibi commissarius proprio nomine emit, seque solum debitorem professus est; tunc tenetur etiam solus, et quidem ex emto; committens contra in nexu non est. Vel in rem committentis emit, eius commissa erga venditorem prae se ferens. Tunc committens obligatur, simulac merces in libro mercatorio in ejus rationes relatae sunt, modo commissarius sese intra fines negotii commissi continuerit. Venditor contra eum experitur actione quasi institoria ex vendito, ut pretium soluat reliquaque obligationibus, intuitu negotii a committente contractis, satisfaciat.

F

Commiss-

Commissarius contra tantum durante commissione tenetur, nisi forte ex proprio facto ulterius adhuc teneatur, v. c. si se ipsum tanquam debitorem libris mercatoris inscribi passus est, vel si quouis alio modo fidem suam interposuit. Beneficium excussionis autem denerari solet mercatoribus fideiussoribus, ergo etiam commissario nostro ^{44).}

44) CARPOV. *Decis.* P. II. c. 13. def. 7. BERGERI *supplementa ad discept.*
forens. P. I. tit. 5. obs. 7. p. 62-64. MENKEN *syst. pand.* XLVI. 1. 14.
pag. 762.

§. 32.

Cum nauta vel auriga agitur ex contractu vehiculari. Vt ex una parte illorum est, curare, vt merces in eodem statu, quo illas receperunt, ad committentem eiusue substitutum perueniant, ita ex altera parte committentis est, mercedem cum omni causa solnere. Quo facto, non amplius habet nauta vel auriga, cur literas recognitionis extradere conctetur. Quodsi nihil secius moras in tradendo necit, omne periculum et quidquid damni ex mora nascitur, in eum deouultur, nisi forte vel ex persona commissarii, eiusque mandato instructus, extraditionem recuset, quia v. c. a mandante nondum satisfactio praestita est ratione pretii; tunc autem non committentis, sed commissarii res agitur; vel si merces alio adhuc loco, praeter eum, qui exonerationi nauis vel vehiculi destinatus est (*Lösungss- oder Abladungs-Ort*), a nauta vel auriga exigantur, ita vt adhuc incertum sit, cuinam et quonam loco illas tuto tradat. Cautione autem de assertione facta, hic recte exigi, non illic, ne amplius mercium traditionem deneget. Quodsi vero ex mora reliquis mercibus, nauis impositis, damnum oritur, committens eam praestare tenetur; et vt nauta eo nomine securior sit, cautionem ad illud damnum extendi recte exigit.

§. 33.

Cum assecuatoribus contenditur ex contractu assecurationis. Committens illis tenetur ex mandato, si de conducendis assecutoribus

ribus mandatum dedit; sin secus, ex eo, quod commissarium negotio suo praeposuit; modo hoc casu assecurationis necessitas ad negotium pro sua natura bene gerendum adfuerit; alias enim commissarius fines praepositionis excessisse accipiens est, ultra quos committens non obligatur. Commissarius, stante commissione, directe tenetur ex contractu assecurationis; ea vero soluta, liberatur.

Saepius autem accidit, ut in contractu assecurationis nomen eius, cuius periculum suscipitur, non exprimatur, sed persona tantum incerta eius, ad quem assecuratio pertinet (*für Rechnung dessen, den es angeht*) indicetur; qua formula tunc mercatores vii solent, si v. c. adhuc in incerto est, cuinam merces destinauerint. Tunc assecutoribus cum his solis in iudicio res est, quibuscum de periculo suscipiendo contraxerunt, pata cum commissariis.

THESES.

T H E S E S


- I. *Commissio, ad coemendas merces data, pactum est germanicum.*
- II. *Pleraque mercatorum negotia ex maxima parte pendent in interpretatione ex bona fide.*
- III. *Errant, qui mercatores a regula communi; dominium mercis non transferri in emtorem, nisi pretio soluto vel fide de eo habita, exceptos esse statuant.*
- IV. *Periculum merecum venditarum in mercatorem emtorem transit tempore perfecti contractus, etiamsi per mandatarium emerit.*
- V. *Attestationes mercatorum, vulgo Parere, in quaestionibus iuris qua tales nihil probant.*
- VI. *Mercatoribus usurae, solitis maiores, iure conceduntur.*
- VII. *Per contractum bonae fidei, cui dolus causam dedit, rei tradi tae dominium non transit in accipientem.*
- VIII. *Actio de receptis contra aurigas publicos etiam intenditur.*

ULB Halle
002 692 058


3



S.b,



Proving - Photography - Photochrom - Chromo



Farbkarte #13

B.I.G.

IO IN AVGVRALIS

DE

COMMISSIONIS

COEMENDAS DATAE

ps - Einkauf - Contracte)

QVAM

IVRECONSULTORVM ORDINE

OBTINENDIS

VRE HONORIBVS

IN

EORGIA AVGUSTA

AVGVSTI MDCCC.

E DEFENDET

NVS BREULS

EMANVS.

TINGAE

ICI DIETERICH.